

non negare, sed omnia aduersus illius sententiam interpretari. Et cum ad finem peruenisset, sine vlla hæsitatione nolimus legit, & non volumus. Intellexit locus cum Lippus, & subridens siluit.

DE SAPIENTER DICTIS VEL
FACTIS. Cap. III.

SI quis erit forsitan, qui magnam spem materiae scelicioris, ex tituli præsentis inspectione conceperit, sciat me hoc loco nec mei ipsius, neque propositi oblitum, de communi hominum sapientia tractare: quamobrem si quid altius expectabat, errorem susceptum, in limine linquens, in vestibulo rebus integris abeat, quod apud me quærebat, apud alios reperturus. At cui exemplorum illustrium præfertilem vetustatem scrutari propositum est, multis hæc diffusa voluminibus coaceruantem calamum sequatur.

SCIP. AFRICANVS.

SCipionem Africanum, hac similitudine uti solitum accepimus: Ut equi bellicis & victoriis feroces domitoribus traduntur: sic homines prosperis successibus elatos atque intractabiles, rationis ac doctrinae frenis subigendos ducendosque,